



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarum reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 5. Nemo potest plùs Juris transferre in alium, quàm sibi
competedere dignoscatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

posteriùs simul vendita & tradita, hunc posteriorem Dominium rei acquirere, uti expressè in le: Quotiens. Cod. de vindic. insinuatur.

Deducitur 2. Si Personæ alicui particulari res aliqua donetur, & postea alteri donetur, & tradatur, donum hoc ad istam, & non ad priorem Personam pertinere, uti Glossa Baldi sup. leg. Quotiens cit. resolvit his verbis: Ille est prior in Dominio, cui res priùs traditur, licet alius in Titulo prævenerit.

Deducitur 3. Si domus alicui nudà conventione, aliter verò etiam cum traditione locata sit, non posse hunc posteriorem à priore de sua possessione deturbari.

PRINCIPIUM V.

Nemo potest plùs Juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur.

Sensus.

Hoc est, nemo potest alicui ampliorem de re aliqua disponendi facultatem concedere, quàm ipse priùs habuerit.

Authoritas.

Desumptum est ex le: 6. decret. c. ult. reg. 79. Item ex reg. 58. ff. de reg. Juris, illudque explicant, & defendunt Decius, Dynus, Canisius, & Barb. axiom. 135. & 160.

Ratio.

Quia nemo dat, quod non habet, ut in cap. Quod autem 5. de Jure Patronatus dicitur, ergo nec plùs dare potest, quàm habeat.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si aliqua terra data alicui fuerit in Fidei-jum, vel Hæreditatem, sed tantùm, quoad vixerit, posside-da, non posse eum in uxorem transferre hoc Jus per modum Ususfructus post mortem ejus continuandum, uti in cap. No-per. 6. de donat. Inter vir. & uxor. definitur.

Deducitur 2. Non posse Confessarium delegare alteri potestatem absolvendi à reservatis casibus, à quibus ipse absol-vere non potest, uti unanimiter docent Theologi.

Deducitur 3. Eum, qui alteri vendit prædium variis ser-
vitudibus

servitutibus gravatum, non posse illum à servitutibus talibus liberare, uti ex le: Traditio. 20. ff. de acquir. rer. domin. dicitur.

PRINCIPIUM VI.

Qui prior est tempore, potior est jure.

Sensus.

Hoc est, quando aliquis acquisivit jus ad rem aliquam alicui in possessione Juris talis præferitur omnibus, qui simile jus ad eandem rem post ipsum acquisivisse videntur, nisi aliud jus statuatur.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 6. decret. c. fin. reg. 54. & ex le: 98. de reg. Juris, ubi dicitur: Quoties in utriusque causa lucrum vertitur, is præferendus est. cujus in lucrum causa tempore præcedit; illudque explicant Canisius, Dynus & Decius in l. 11. c. 11.

Ratio.

Quia, uti in le: Non debet. 74. ff. de reg. jur. dicitur, non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, ergo nec illi, qui prior illud obtinuit, invito auferri.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, cui prius beneficium collatum est, in possessione præferri posteriori, uti in cap. ci. cui. 7. & c. si tibi absenti. 17. de præb. in 6. definitur, modò posterior non sit à Sede Apostolica; prior verò ab alio in aliquam Ecclesiam sit receptus; in hoc enim casu posterior præferri debet, uti in cap. Hi, qui. de præb. in 6. habetur.

Deducitur 2. Eum, qui prior aliquam hypothecam accepit, præferendum esse illi, qui eam posterius obtinuit, uti ex cap. Qui prior. 11. ff. Qui potiores in pignore colligitur.

Deducitur 3. Eum, qui prius sponsalia contraxit, posse præferri Sponsam præ eo, cui post fidem priori datam illa se sponsavit, uti in cap. Duobus. 1. & cap. Tuas. 5. de Sponsaliorum definitur.

PRIN-